



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und  
Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten**

**Calino, Cesare**

**Augspurg ; Graez, 1744**

**VD18 80280064**

In Festo S. Josephi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](#)

## CONCIONATORIUS. 205

Mathiam ; non quòd ille minùs humilis esset,  
sed ut ostenderet , ni fallor , ipsius etiam no-  
minis humilitatem DEO præplacere, cùmque  
velle commendare omnibus hanc virtutem ;  
est enim DEO planè acceptissima, quam ipse  
tot ornat laudibus , tot gratiis cumulat , ad  
tantos honores promovet. *Mense IX. Disc.*  
*261. pag. 272.*

## IN FESTO S. JOSEPHI.

I.

*Cùm esset desponsata mater IESU Maria  
Joseph. Matth. 1.*

In tota S. Scriptura nullibi ita conjuncta  
occurunt JESU, Mariæ , & Josephi nomina ,  
sicut in hodierno. Castissimi & innocentissimi  
omnes omnium uno die occurunt , & eo qui-  
dem die , quo Josephi quædam anxietas de  
graviditate virginis nunciatur , at eo ipso cer-  
tior ejusdem castitas annuciatur. Proponi-  
tur hæc castitatis virtus omnibus imitanda , ut  
per tanta exempla allecti , non virgines solum ,  
sed & conjugati & vidui singulari in eam stu-  
dio ferantur. *Mense VIII. Disc. 239. pag.*  
*417.*

2.



2.

*Joseph autem vir ejus cum esset justus,*  
*Matth. 1.*

Non exprimit Evangelium, qua specie iustitiae excelluerit S. Joseph, sed absolute justum nominat, qui putandus fuerat pater IESU, solidis iustitiae. Non opus est examinare, num sicut operarius in commutativa, vel princeps aut iudex in distributiva aut vindicativa iustitia titulum justi meruerit. Satis, imo abunde est, impluisse omnem iustitiam, & legibus nihil debuisse. Iustitiae hujus lege tenemur omnes, & amplecti eam debemus libenter, quia & DEO gratam scimus, & nobis fuisse necessariam olim sentiemus. *Mense IX. Disc. 267.*  
*pag. 378.*

3.

*Joseph autem vir ejus cum esset justus,*  
*Matth. 1.*

Justitiam in observando non hominis tantum, sed etiam patris munere explevit Joseph, dum Virginis Sponsae curam habuit, circumcisioni subjecit, in templo praesentavit, ibidem amissum requisivit. Sicut porro iustitiae dono excelluit gratia DEI singulari, ita dispositione divina aeternum justi nomen in Evangelio.

vangelio accepit. Justitia hæc, cùm singula-  
re sit donum DEI, ita ejusdem amissio maxi-  
mè cavenda est, cùm afferat damnationem æ-  
ternam. *Mense IX. Disc. 268. pag. 392.*

## 4.

*Joseph autem vir ejus, Matth. 1.*

Cujus vir vocatur Joseph? Matris DEI. Jam illum exultans in utero matris Joannes senserat, jam Zacharias solutâ linguâ annun- ciaverat, jam Elisabeth benedictum fructum ventris virginis dixerat &c. Omnis hic ho- nor redundabat in Josephum, qui pater cre- debatur. At nihil de mundano ejus honore le- gimus: solum ex scriptura novimus iter ejus Bethlehemiticum, oblationem in templo, fu- gam in Ægyptum, duodennis pueri anxiam requisitionem. Verum honorem, quem à mundo non accepit, compensavit DEUS, e- úmque omnibus populis venerabilem ultima hac ætate fecit. Poterat verò sibi vendicare honorem, sed noluit. Possimus & nos non justè solum desiderare honorem, sed etiam cum merito, si modò cum Josepho nullam e- jus partem nostris deberi meritis arbitremur. *Mense VI. Disc. 155. pag. 40.*

IN